

dinoscuntur, largam et internam adhibere pietatis operam debeamus, hinc est quod cum honorabilis vir dominus Nicolaus de Gana, canonicus ecclesiae nostrae, archidiaconus Nisicensis duo talenta annui census sita in villa Smordin^a) in hereditate Jacobi dicti Kochelacz et Petri filii Henczkonis pro suis denariis comparaverit distribuenda canonice in die anniversarii sui inter canonicos et vicarios, qui commemorationi praedicti sui anniversarii interfuerint, dictae ecclesiae secundum discretionem viri discreti et idonei, quem ad hoc eligendum duxerint, nobis humiliter supplicavit, quatenus huiusmodi emptionem, dispositionem seu deputationem ratas habentes praedicta duo talenta auctoritate diocesana confirmare et appropriare praedicto pio usui dignemur. Nos vero considerantes petitionem suam satis esse devotam, rationabilem et honestam, cum sacrarum legum exhortatione decens sit tam ultimas quam alias piissimas hominum voluntates episcopali studio adimpleri, praedicta duo talenta pro salute animae suae de expresso nostri capituli consensu praefato pio usui pro voluntatis suae affectu applicamus, confirmamus et appropriamus divinae remunerationis intuitu per praesentes. In cuius rei testimonium nostrum sigillum praesentibus est appensum. Datum et actum Misnae anno domini M^o.CCC^o.XXXVI^o dominica infra octavam Christi praesentibus discretis viris Theoderico de Limpach plebano in Mogelin, Rulkone et Nikolao nostris notariis et aliis quam pluribus fide dignis.

Et nos Albertus praepositus et Thimo dei gratia decanus totumque capitulum ecclesiae supradictae in signum adhibitionis nostri consensus sigillum nostrum praesentibus duximus appendendum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

a) Schmorren, Par. Jahna.

No. 417. 1336. 8. Jan.

K. Johann von Böhmen eignet dem B. Withego und der Meissner Kirche das von Johann und Gebhard von Eylkendorf erkaufte, von ihm zu Lehn gehende Schloss Liebethal bei Pirna in der Weise, dass im Falle Weiterverkaufs seine lehnherrlichen Rechte wieder aufleben sollen.

Nos Johannes dei gratia rex Bohemiae ac Lucemburgensis comes ad universorum notitiam tenore praesentium publice volumus devenire, quod quia coram nobis venerabilis dominus Wythgo Mynsensis ecclesiae episcopus amicus noster dilectus constitutus proposuit, quod ipse pro se et ipsa sua ecclesia castrum Lybental prope Purnis civitatem nostram situm, quod a nobis hactenus Johannes et Gebhardus de Eylkendorf fratres in pheudum tenuerunt et nostri de ipso erant pheodales, ab eisdem fratribus iusto emptionis titulo comparasset, petens a nobis cum instantia, ut emptionem ipsam ratificare et approbare dignemur. Nos vero praefati domini Wythgonis episcopi grata servitia hucusque nobis exhibita et in futurum exhibenda benignius intuentes, emptionem praefatam ratam habentes et gratam, ipsam praesentis scripti patrocinio confirmamus, appropriantes deo creatori nostro et sanctis Johanni evangelistae et Donato episcopo et martyri praedictae Mynsensis ecclesiae patronis, et ipsi domino episcopo, qui nunc est aut in futurum superstes fuerit, damus et appropriamus per praesentes praedictum